

& animam accepistis, & insuper Salutem quoque expectare debetis? An ignotum est vobis pronunciatum Christi: *Quòd* Ioan. 5. v. 23. 24.
Pater omne Judicium dederit Filio, quia Filius Hominis est; ut omnes honorent Filium, sicut honorant Patrem: qui non honorat Filium, non etiam honorat Patrem, qui misit illum?

Quo ipso certè, Calviniani, qui hoc Dogma propugnant, longè deteriores sunt Nestorio, qui sanè Carni, seu Humanitati Christi assumptæ, concessit Adorationem divinam, adeo que eam ipsam, quæ ipsius λόγος sit propria, confitente id Danæo: Verùm in eo blasphemavit, quòd eum coadorandum, & non unâ Adoratione cum λόγῳ invocandum esse voluit. At Pareus non aliter ipsam vult esse Adorationis Objectum, quàm purpura Regis est. Cùm tamen Diabolus ipse suo modo genu flectere, ipsum adorare & Dominum suum agnoscere cogatur? Quis verò, cui mica Pietatis inest, hanc conspuendam Blasphemiam æquo animo audire poterit? Sed ista sufficiant dixisse de 15. Articulo.

Apolog. contr.
Iacob. And.
pag 57.

A R T I C U L U S X V I.

I. Quòd (*Calviniani*) Christum ex Coenâ suâ excludant: Eucharistiam absque corpore & Sanguine Christi habeant.

II. **E**T hîc Status Controversiæ primùm formandus est, ne Iren. pag. 27E.
cum larvis dimicare videamur. 1. Nimis adhuc generale est dicere, an Calviniani Christum è Coenâ suâ excludant. Nam si Verba Institutionis respiciamus (quæ omninò hoc in negotio tanquam fulgentissimus radius Solis nobis præluere, & quasi sacra anchora esse debent, ad quam in omnibus ejus Controversiis confugiendum) propiùs ad rem est accedendum, & exprimendum corpus & Sanguis Christi, quorum disertè facit mentionem. 2. Cùm Adversarii latibulum quærant sub voca-

O o o o 3 bulo